

u Herod. l. 1. c. 46. Strab. Diodor. Elian. alii.

x Plutarch. de Iside, & Osiride. Stanley, tom. 2. p. 14. c. 6.

to probatur, sive Hebræos sive Chanangos unquam Dæmonibus cultum impendisse. Hirci sive Pilosi, de quibus Moyses, non nisi Deos Mendefiorum in Ægypto designant (u), quorum imitari cultum in deserto tentarunt Hebræi, & re ipsâ aureum vitulum consecrare ausi sunt.

Autamarunt Patres, nec immeritò, Dæmones cultum sibi in Idolis à gentibus exegisse. Erant enim reapse Dæmones, sive qui Tempa occupabant, sive dabant oracula, sive tandem superstitiosè illius Religionis Authores fautoresque. Sed spectatum à gentibus illis cultum infestissimi illius humani generis adversarii, quem sub Satanæ nomine agnoscimus, quis credat? Constat planè, Gentiles non nisi confusam quamdam illius ideam habuisse; Deosque illos infernos, quibus litabant sacrificiis, quemadmodum & Deis Cæli marisque, longè alios fuisse ab iis, quos Dæmones nos, illi malos Genios appellabant (x).

Vix tamen datur ambigendi locus, Perfas summis honoribus Dæmonem, quem ut malum principium agnoscebant, non coluisse. Duos enim illi Deos, bonum nempe & malum, in natura statuebant; illum Horomafum, alterum Arimanum appellantes. Horomafum sacrificiis gratiarum actionis litabatur, avertendis, quæ ab illo imminebant, malis; sacrificia pariter Arima-

no oblata; offerendi autem ritus erat ejusmodi. Herbam Omanim tundeant in mortario, Deum interim Infernorum & tenebrarum invocantes, affudentesque cruorem lupi, quem jugulaverant. Secundùm hæc, totam illam confessionem deferebant in locum solaribus radiis impervium, quò projectam relinquebant.

Certum etiam constituunt, populos quosdam Africanos hostiis & luminibus litasse Dæmoni, quò scilicet furorem ipsius, & malum, quòd in homines minitatur, evitare daretur. Ed usque ignorantia & superstitio devenit. S. Augustinus non semel repetit id, quòd in Psal. 94. num. 6. disertissimè exprimit. Omnes gentes sub Dæmonibus erant; Dæmonibus Tempa fabricata sunt; Dæmonibus ara constructa; Dæmonibus Sacerdotes instituti; Dæmonibus oblata sacrificia &c. Docet alibi (y), Principum auctoritate insectum inter homines Dæmonum cultum; & id constituisse Romanos ut boni Genii invitarentur, sacrificiis verò litaretur malis. Quòd eà planè religione sanxerunt, qua olim erecta ab illis sunt Tempa febrì & pallori (z). Non est igitur cur pervicaciter negemus, quin & eò ignorantia apud Paganos ventum fuerit, ut vel Dæmonibus divinos honores decernerent.

y De Civit. l. 5. c. 32.

z Aug. de Cõssen. Evan. l. 1. c. 18. Qui & agathous Dæmonas invitandos, & cacous Dæmonas placandos monent.

DISSERTATIO IN TRES MARIAS.

Quam modò agitandam suscipimus, quæstio tres illas foeminas in Evangelio respicit, nimirum Mariam Magdalenam, Mariam sororem Marthæ, & foeminam illam poenitentem, que in adibus Simonis Pharisæi Christi pedes delinivit (a). Discutiendum est autem, num tres istæ unam eandemque, sive tres reapse foeminas inferant.

a Luc. 7. 37.

Atque in ipso Dissertationis hujus limine constituendum est, de quæstionum illarum, quas interminatas Apostolus 1. Timoth. 2. 4. appellat, numero habendam esse, de quibus post longam prolixamque disquisitionem semper tamen veritas manebit in obscuro. Profectò si rei veritas disputatione attingi potuisset, jam tandem factum esset, ut in lucem solemque exposita post tot sapientissimorum hominum conatus pateret. Attingenda hujus veritatis due planè essent via: prima Dei verbum, nempe facrorum Librorum Textus; secunda Ecclesiæ traditio, & Patrum consensus. Ambiguus est autem Evangelii Textus magis, quam ut certi aliquid ex illo definiatur. Ecclesiæ traditio variat; inter Pa-

tres enim non minùs ac inter nostræ ætatis Criticos non convenit. Hanc sententiarum varietatem, & discrepantiam videt Ecclesiæ, nihilque ex ea retimens incommodi, auctoritate suâ refræandam ingeniorum licentiam suarum esse partium non ducit. Integrum est igitur ut quicumque voluerit, iterum argumentum illud, expositulante nemine, tractandum suscipiat.

Sex autem de illo referuntur sententiæ. Prior omnium tenet, Mariam Magdalene, Mariam sororem Marthæ, & Poenitentem illam foeminam, quæ Jesu Christi pedes in adibus Simonis Leprosi [b] unguento fovit, ac tandem quæ pretioso unguento perfudit caput ejusdem in Bethania, dum apud Lazarum diversaretur (c), unam eandemque mulierem, varia erga Jesum munera præstantem, haberi. Alii tres personas distinguunt; alii Mariam Magdalene cum sorore Marthæ confundunt; alii foeminam peccatricem à Magdalene non distinguunt; ipsam denique alii reputant Mariam sororem Marthæ cum foemina illa criminosa. Addenda hæc omnibus illorum opinio, qui inter tot varias sententias veritatem in ambiguo positam satis apertè non distinguentes, hærent suspensù; inter quos recenseri meritò possunt S.Hic.

b Luc. 7. 37.

c Jo. 11. 2. & 12. 2. 3.

d Hieron. in Matth. 16. & l. 2. contra Jovin. c. 16. Praefat. in Osee, & Ep. 150. e Ambros. l. de Virgin. Confei cum l. 6. in S. Lucam. f Clemens Alexand. l. 2. Pedagog. c. 8. Vide D. Trevet Dissert. de Maria Magdal. l. 2. art. 2. p. 214. g Gregor. Magn. homil. 25. in Evangel. c. hom. 33. in 1. Reg. 9. i Chrodobert. apud Noel. in Quest. ad Epist. S. Leonis. k Petrus Bles. l. 3. Ep. 50. & Sermon. de S. Maria Magdal. l. Chryso. hom. 81. in Matth. 26. & hom. 61. in Joan. Vide Origen. hom. 35. in Matth. c. 2. Cantic.

m Jodoc. Cliev. Epist. dicatoria ad Francis. Molin. præfixa Tractatui Jacobi Fabri Stapul. Idem Cliev. discept. 1. & 2. adver. Marcum Grandivallum Paris. an. 1519.

S. Hieronymus (d), S. Ambrosius (e), S. Augustinus tract. 49. in Joan. num. 3. Singularum opinionum assertores eadem Scripturæ testimonia in suas quique partes trahunt; ex quibus oppositas planè defecutiones deducunt. Laudat pariter pro se quisque Patres sententiæ suæ faventes. Qui unam constituunt, assertores dant potissimum S. Clementem Alexandrinum (f), Ammonium Harmon. 4. Evangel. S. Gregorium Turonensem septimo sæculo (i), Bedam ejusdem sæculi Scriptorem in Luc. 3. c. 1. Druthmarum Monachum Corbejensem in Matthæum noni sæculi Scriptorem, S. Odonem Abbatem Cluniacensem serm. 2. de Maria Magd. Pseudo-Anselmum in Matthæum 26. Petrum Blesensem (k), S. Antoninum serm. in Per. 6. Hebdomadis Passionis, Dionysium Chartusianum, Hugonem Cardinalem, ac tandem Latinos ferè omnes post S. Gregorium Magnum.

Qui plures defendunt, assertores habent Authorem Constitutionum Apostolicarum lib. 3. cap. 6. distinguentem inter Mariam Magdalene, & Mariam Sororem Marthæ; quòd idem præstitit à Theophylo Antiocheno Comment. alleg. in 4. Evang. S. Irenæo lib. 3. cap. 14. S. Chrysofomo (l), S. Macario Hom. 12. Tito Bostrensi in Luc. 7. Theophylado in Marc. 14. & in Luc. 7. Euthymio in Evangelia, Modesto Patriarchâ Jerosolymitano apud Phot. Cod. 275. ac tandem à Græcis Patribus ferè omnibus. Ita sexto Ecclesiæ sæculo insignis hæc controversia Orientem, Occidentemque inter se committebat. Albertus Magnus, & S. Thomas neutram partem secuti, agnoscunt Occidentem universum S. Gregorii Magni partes sectari. Est quidem animadversio dignum, Officium Missæ, & Breviarum Romani ritus in unam eandemque foeminam Mariam Magdalene, foeminam criminiosam, & Mariam sororem Marthæ non apertè quidem, sed obscure, quantum capimus, constare.

In eorum statu Jacobus Faber Stapulensis decimosexto sæculo insurgens, demonstrandum suscepit, tria illa nomina tres designare distinctas foeminas, nihilque populari illi opinioni tres in unam colligenti deferendum fuisse. Subsidiariam Fabri operam præstitit Jodocus Clievoveus (m); tantaque ejus disputationis novitate commotio facta est, ut tandem Facultas Theologica Parisiensis Fabri thesim censurâ inuisset die 9. Novembris 1521. Adversus Fabrum contrariam opinionem, scripto libro defendit Joannes Fischerus Episcopus Rossensis anno 1519. cui etiam suffragatus est alio scripto Balthasar Sotrius, ejusque Opus prodit Cefaraugustæ a. 1521. Idem præstitit à Laurentio Surrio, Jacobo Episcopo Viennensi, Marco Grandivallo, Baronio, Jansenio Ganda-venû, & Maldonato.

Nequaquam tamen his factum est, quin Eruditorum alii Fabri causam defendendam susceperent. D. Lonvet an. 1636. Librum eade re vulgavit, munitum approbatione D. Chatelain Syndici Facultatis Theologicæ

Parisienfis; demonstrat autem politicam hujus censuræ Sorbonicæ rationem, asseritque futurum, siquidem iterum sub Judice causa poneretur, ut æquior pro Fabro prodiret sententia. Casaubonus in Baron. Exercit. 14. Estius (n), Launojus (o), Bulengerus Jesuita (p), & ejusdem Societatis Turrianus in Consens. l. 3. c. 6. Zezerus Franciscanus celebratissimus Interpres in Joann. 11. Salmeron l. 9. tract. 49. alique etiam Recentiores pro distinctione earumdem foeminarum adversus alios unam defendentes decertant.

R. P. Alexander Dominicanus in Hist. Eccles. sæc. 1. dissert. 17. P. Lamy Harmon. in Evangel. & Epist. Gallic. & Mauduit (q) Oratorii Presbyteri, P. Pezon (r) strictioris observantia Cisterciensis, unius mulieris partes teneant. Sed D. Mauconduit (s), Anquetin Parochus Legionensis (t), D. Tillemont (u), Baillet (x), Faber Doctor Sorbonicus in suis animadversionibus ad P. Alexandrum suppressis, pro pluribus decertant. P. Lamy post lectam à se Dissertationem D. Anquetin contrariam sententiam duplici Epistolâ impressâ 1699. suffulsi. Prodiit eodem tempore Libellus Gallicus quidam anonymus inscriptus: Reflexions contre la Dissertation sur sainte Magdalene (y); cui Ecclesiasticus quidam Diocesis Rothomagensis, facillè idem D. Anquetin, tres Epistolas publici juris factas opposuit. Omnium postremus insurgens D. Trevet Parochus de Gomecourt vulgavit anno 1713. prolixam Dissertationem suam, qua Mariam Magdalene, Mariam sororem Lazari, & foeminam Criminiosam unam singularem foeminam adversus recentiores quosdam Authores defendit. Rem sibi proponit maximè contra D. Anquetin, Tillemontium, & Baillet. Is est celeberrima hujus controversiæ status.

Quam suscepimus provinciam, cogit nos ut mentem hac de re nostram promamus; nihilque propterea facturos nos propius arbitrantur, quam utriusque sententiæ rationes in medium proferre, ut Lectores nostros, & nos etiam ad iudicium eade re suum nostrumque pronuntiandum, & quas maluerimus partes sectandas, comparemus.

ARTICULUS I.

Rationes pro unica Maria.

I. QUÆ singularem asserit foeminam sententia, ferè unice obtinuit in Ecclesiâ Occidentali jam inde à sæculo septimo, nempe post S. Gregorii Magni ætatem: Asserita autem mille annorum spatio & omnium scriptorum Catholicorum auctoritate firmata possessio, ad eò ratum auctoritate certumque jus, ut non nisi solidis apertisque demonstrationibus rejiceretur. Opinio sanè, que tot sæculorum spatio in Ecclesiasticis Officiis valuit, in publicis ad populum concionibus constituta, quæque traditionis inter fideles receptæ portionem aliquam efficit, tanquam sancta & inviolabilis.

n Estius orat. 14. Qua est de Maria Magdal.

o Launojus de Commentatio Lazari & Magdal. in Provinciam appulsa.

p Bulenger. Diatrib. 3. p. 15.

q Mauduit. Anal. Evan. tom. 2. Parisiis an. 1695. Gallicè.

r Pezon hist. Evan. tom. 2. p. 337. Parisiis an. 1696. Gallicè.

s Mauconduit. editus ann. 1685.

t Anquetin. Dissert. de Maria Magdal. Parisiis an. 1699.

u Tillemont Hist. Eccles. t. 2. p. 30. & 512.

x Baillet Vita SS. Mensis Julii 22.

y Animadversiones in Dissertationem de S. Maria Magdalena.

labilis tenenda est, nisi aded aperta textuum & rationum documenta adversus illam proferantur, ut contra stare non possit. In eo autem rerum articulo constituti sumus, ut ipsis fatentibus adversariis, que contra ipsam proferuntur documenta & Textus Scripturae longissime absint ab evidentia. Cujus si nihil aliud, certum aperitissimumque argumentum est ea, quae inter Criticos de hoc argumento hodie usque regnat, sententiarum & opinionum dissensio. Contra assertam igitur Latinae Ecclesiae possessionem, & obfirmatam tot saeculorum persuasionem, non est cur admittatur opinio, quae tres foeminas adversus unicam & singularem defendit.

II. Diserte notant Evangelistae, Mariam Magdalene emisse sibi aromata curando post eius funus Magistro (a); notat insuper (b), Jesum sex ante Pascha diebus, dum verba cum Maria sorore Marthae, & Lazari faceret, dixisse futurum, ut ab illa post obitum suum aromatis condiceretur; cujus deinde rei fama longe lateque per orbem praedicationibus diffunderetur. Una igitur eademque mulier habenda est Maria Magdalene, & Maria soror Lazari; in Magdalene etenim impleta sunt ea, quae de sorore Lazari oraculum Jesu Christi praedixerat.

Convenit inter Scriptores, de hoc argumenti genere, differentes, Mariam Magdalene curandi sibi Jesu Christi cadaver aromatis negocium assumpsisse; sicut & Mariam sororem Marthae, & Lazari pretioso nardi spicati unguento recumbentis Christi pedes perfudisse. De solo igitur sensu verborum Evangelii negocium superest. Habent enim, Jesum Christum obtrequantium in illam Mariae profusionem ora verbis illis obstruxisse [c]; *Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud* (*). Utique servare non poterat unguentum illud, quod super caput recumbentis jam effuderat. In hanc igitur sententiam locutus est Christus, quam explicat S. Matth. 26. 12. *Mittens hac unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; id est tantumdem praestitit, juxta S. Marcum 14. 8. ac si praeveniret ungere corpus in sepulchrum. Pre-luist nempè actione sua, atque pio illo officio pio alteri ab altera muliere post obitum praestando.

3. Non inde sanè recta consecutione deduci potest, Mariam sororem Marthae curandi J. C. cadaver aromatis negocium suscepisse; non inde, inquam, deduci, potest, quòd scilicet Jesus Christus de foemina illa locutus dixerit, praevenisse nimirum illam unguento suo ungendum corpus in sepulchrum. Quod enim praeverterat officium, quomodo post mortem praestandum erat? Si verò Christus illud innuit tantummodo, nimirum frustra mulierem pium, idem officium prosequitur post obitum suum, à quo proinde abstinere debuisset; si, inquam, hac innuebat Christus, supervacaneam operam mulierem illam navaturam significasset.

III. S. Joannes 11. 2. infirmam Lazari valetudinem narrans, addit Mariam ejus sororem non aliam fuisse ab ea muliere, quae recumbentis J. C. pedes unguento perfudit. Porro nunquam antehac Evangelista enctionem illam à Maria factam significaverat; ceteri verò Evangelistae nullius alterius antea fecerant mentionem, quam quae diu ante à foemina criminosa in domo Simonis Pharisaei facta narratur (†). Pronum est igitur ut credamus, hanc ipsam foeminae criminosa actionem, cujus per omnes Ecclesias fama celebrabatur, S. Joannem designasse. Quare Maria soror Marthae cum foemina criminosa jure, meritoque confundenda est.

Reponunt haece adversae sententiae assertores (d), fieri utique potuisse, ut S. Joannes anticipationem quadam eam retulerit circumstantiam, quòd scilicet Mariam agnoscentiam Leclioribus proponeret, ejus rei gesta memoria, quae per omnes Ecclesias & longe lateque celebraretur, cujus pariter in universo mundo laudes praedicatione innotuerant, juxta J. C. oraculum (e). Jam enim ejus rei illustris erat memoria apud Fideles, quo tempore S. Joannes ad scribendum Evangelium se contulit. Eo consilio Evangelista de vocatione Judae ad Apostolatam verba facientes, notant, virum illum proditione sua Magistrum neci tradidisse, quan-

a Marc. 16. 1. 2.
b Matth. 26. 12.
c Marc. 14. 8.
Joan. 12. 1.

c Joan. 12. 3.

* Joan. 7.

Luc. 10. 8.

† Luc. 7. 37.

d Autor. Quasi. inter Opera August. 1. 3. 94. p. 35. Esti. Orat. 14. Tillemont. alii. e. Matth. 26. 13.

quam nihil adhuc de proditione illa retulissent.

IV. Ceteri Evangelistarum textus refragari, potius quam favere singularitati hujus foeminae videntur, quare ab illis laudandis adversae sententiae assertores abstinere. Satis habent tantummodo demonstrasse, loca illa opinioni suae non adversari, vel commode aded in proposito ab ipsis systemate exponi, ut objectiones adversae omnes facile diluantur. Quod ut sibi facilius eveniat, tum ut de omnibus proficiant historiae circumstantiis, novas excogitarunt hypotheses, pro digerenda rerum, quae in Evangelio narrantur, serie, novisque interpretationibus textus, quibus maxime urgentur, prorsus eludendi.

E. g. P. Lamy, & P. Mauduit autumant, coenam illam apud S. Lucam 7. 37. cujus occasione mulier criminosa rigatas lacrymis suis pedes Jesu Christi comâ capitis detergit; coenam, inquam, illam Bethaniae institutam fuisse, quo in loco factam constituunt alteram apud S. Matth. 26. 1. & S. Marcum 14. 1. & S. Joannem 12. 1. &c. cum scilicet Maria soror Lazari pretioso unguento vasculo caput Magistri perfudit. Certum ponit P. Lamy, eam, quae cum domo Marthae & Mariae ac Jesu Christo intercessit, animi coniunctionem, ut quoties Hierosolymam iret, apud illas diverteret, jam inde ab exordio praedicationis Jesu Christi coepisse. Constituit pariter, coenam illam, cujus occasione Marthae & Mariae sorore conquesta est (f), paulo post Baptisum Jesu Christi factam; praecessisse autem alteram coenam, qua Maria antea vitae jam poenitens, & ad meliorem frugem conversa, quamquam nondum externae vitae habitum penitus immutasset, ad Simonis Pharisaei aedes divertit, ibique poenitentiae suae & pietatis aertissima protulit documenta. Sed in hoc Authoris systemate totus transponendus est ordo S. Lucae, cujus caput decimum ante caput septimum transferretur, nequid dixerimus, quòd coena illa apud Simonem Pharisaeum non Bethaniae, sed Naim instituta est, quemadmodum in inferioribus demonstravimus.

P. Pezron histor. Evang. tom. 2. alter singularis Mariae assertor, in ipso operis vestibulo profertur, rerum, quae de Magdalena in Evangelio narrantur, historiam, si sparsim, ut scriptis mandata est, legantur, non nisi confusam ejus ideam sufficere; si verò junctim tamquam in ordinatae historiae seriem digesta exhibeatur, tunc prona erunt omnia & aperta. Quam invidiosam, rogo, adversus suum systema confessionem? Quae in Evangelio res gestae leguntur, nullam habent ad persuadendum vim, nisi è suo revulsa loco in arbitriam digestae seriem reducantur: quid tunc alienum erit ab Evangelio, si ea tandem interpretandi ratio adhibeatur?

Fatetur ille, Mariam Magdalene è Galilaea repetendam, cujus deducit nomen ex vico quodam, Magdalo appellato: addit, Lazarum fratrem & Martham sororem, ut ipse quidem credit, hujus Magdalena, ad Biffert. Calmet Tom. 11.

eandem provinciam pertinere. Maria liberioris vitae licentiam secuta est; non tamen aded, ut rupto pudoris freno impudicitiae se daret. Deus revocanda ad meliorem frugem mulieri, in potestatem septem Dæmonum, quibus ad tempus infestaretur, illam permisit. Inter haec Jesu Christi in Naim adventus, & fama restituti ad vitam adolescentuli longè lateque pervulgata, eandem mulierem ad ipsum in aedibus Simonis Pharisaei, domui ejusdem mulieris familiaris, accivit. Nec mora; à gemino infami hoste, crimine nempè & Dæmone liberam se experta est. Contigisse autem dicit haec omnia circa mensem Januarii, vel Februarii, anni ab initia à Jesu Christo predicatione secundi.

Proximè sequenti Aprili vel Maio, itinere Jesu Christi comes accessit. Aliquanto post Jesus Christus vicum adivit, cui forte Lazarus & Marthae imperabant; ibi verò Marthae de sorore sua Mariam conquesta est; de Maria, inquam, quae Magistri sequele penitus addida, domestica illa munia parum curabat. Tunc Jesus consilium suum, deserendi nempè Galileam, prodens, foeminis in causa fuit, ut in Bethaniam, vicum non longè à Jerusalem, transmigrarent: Cum igitur Lazarus & Marthae Galilaea secessissent, idem praestandi auctores fuerunt Simoni Leproso, quem confundendum arbitratur cum Simone Pharisaeo urbis Naim incolâ. Omnes igitur sedem transulerunt in Bethaniam, eosque saepe conveniebat Jesus, qui locum Lazari resurrectione innotum fecit. Nec alibi etiam, licet aliquandiu post, Maria soror Lazari caput Jesu Christi recumbentis perfudit unguento, sicut & idem pium officium erga defunctum ejusdem Magistri corpus repetendum suscepit. En planè systema felicissimè conceptum, & perpetuâ rerum serie constans; an tamen verum? Ne ipsum quidem de ejus veritate satis persuaderi Auctorem crediderim; quippe qui non tantum certum, sed tamquam probabile illud se tradidisse significat.

Defendit P. Mauduit (g) Mariam Magdalene, alio nomine Mariam sororem Marthae, è Bethania, vico non longè à Jerusalem, originem duxisse, quam posteriorem Urbem in spectaculum effraenis licentiae suae totam converterit. Cum verò, ait, ad meliorem frugem se recepisset, in Galileam se contulit, ubi facile ditissima domus latifundia possidebat; siquidem ad eam pertinuisse oppidum Magdalum itatur. Hic Jesu Christo comes accedens, Judaeam unâ cum illo repetiit; versantibusque simul in Bethania, mulier semel & iterum unguento Jesum perfudit; in domo nempè Simonis Leprosi vel Pharisaei; utrumque enim Simonem confundendum censuit. Primum hoc in Jesum officium ad exordium restituta mulieris in meliorem frugem revocat; secundum ante sex dies ab obitu Servatoris consignat. Hac ille pro conciliandis Evangelii textibus, quibus gemina mulieris, eodem Mariae nomine notae, characteres exhibentur.

P. Alexander suo ordine insurgens (h),

g Analys. Evang. 1. 2. p. 480.

h Natal. Alexander. Histor. N. T. 1. 3. Dissert. 17. p. 191. &c.